



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre. I

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

neplacito ac honore. Hoc optandum est tibi, vt siue per vitam, siue per mortem, Deus semper in te glorificetur.

CAPVT L.

Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre.

1. Domine, Deus sancte Pater, sis nunc & in æternum benedictus, quia sicut vis, sic factum est; & quod facis, bonum est. Latetur in te seruus tuus, non in se, nec in aliquo alio; quia tu solus lætitia vera, tu spes mea, & corona mea; tu gaudium meum, & honor meus, Domine. Quid habet seruus tuus, nisi quod à te accepit, etiam sine merito suo? Tua sunt omnia, quæ dedisti, & quæ fecisti. Pauper sum, & in laboribus meis à iuuentute mea; & contristatur anima mea nonnunquam, vsque ad lachrymas; quãdoque etiam conturbatur ad se, propter imminentes passiones. 1. Cor. 4.
Psal. 87.

2. Desidero pacis gaudium, pacem filiorum tuorum flagito, qui in lumine consolationis à te pascuntur. Si das pacem, si gaudium sanctum infundis, erit anima serui tui plena modulatione, & deuota in laude tua. Sed si te subtraxeris, sicut sæpissime soles, non poterit currere viam mandatorum tuorum, sed magis ad tundendum pectus genua eius incuruantur: quia non est illi sicut heri & nudius tertius, quando splendebat lucerna tua super caput eius, & sub vmbra alarum tuarum protegebatur à tentationibus irruentibus.

3. Pater iuste & semper laudande, venit hora, vt probetur seruus tuus. Pater amande, dignum est, vt hac hora patiat pro te aliquid seruus tuus. Pater perpetuò venerande venit hora, quam ab æterno præsciebas affuturam, vt ad modicum tempus succumbat foris seruus tuus, viuat verò semper apud te intus. Paululum vilipendatur, humilietur, & deficiat coram hominibus: passionibus conteratur & languoribus, vt iterum tecum in aurora nouæ lucis resurgat, & in caelestibus clarificetur. Pater sancte, tu sic ordinasti & sic voluisti: & hoc sanctum est, quod ipse præcepisti.

4. Hæc est enim gratia ad amicum tuum, pati & tribulari in mundo pro amore tuo, quotiescumque & à quocumque id permiseris fieri. Sine consilio & providentia tua, & sine causa, nihil fit in terra. Bonum mihi Domine, quòd humiliasti me, vt discam iustificationes tuas, & omnes elationes cordis atque presumptiones abijciam. Vtile mihi, quòd confusio cooperuit faciem meam, vt te potius quàm homines ad consolandam requiram. Didici etiam ex hoc, inscrutabile iudicium tuum expauescere, qui affligis iustum cum impio, sed non sine æquitate & iustitia. Psal. 118.

5. Gratias tibi ago, quia non pepercisti malis meis, sed attriuisi me verberibus amaris, infligens dolores & immittens angustias

Job. 13.
Psal. 17.

408 DE IMITATIONE CHRISTI
stias foris & intus. Non est, qui me consoletur ex omnibus, qui
sub cœlo sunt, nisi tu Domine Deus meus, cœlestis medicus ani-
marum, qui percutis & sanas, deducis ad inferos & reducis. Dis-
ciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit.

6. Ecce Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga cor-
rectionis tuæ me inclino, percutere dorsum meum & collum meum,
ut incuruem ad voluntatem tuam tortuositatem meam. Fac me
pium & humilem discipulum, sicut bene facere consuevisti, ut
ambulem ad omnem nutum tuum. Tibi me, & omnia mea, ad
corrigen- dum commendo; melius est hîc corripî, quàm in futu-
ro. Tu scis omnia & singula, & nil te latet in humana conscien-
tia. Antequam fiant, nosti ventura; & non opus est tibi, ut quis te
doceat, aut admoneat de his, quæ geruntur in terra. Tu scis, quid
expedit ad profectum meum, & quantum deseruit tribulatio, ad
ruginem vitiorum purgandam: Fac mecum desideratum bene-
placitum tuum, & ne despicias peccaminosam vitam meam, nulli
melius nec clarius quàm tibi soli notam.

7. Da mihi Domine scire, quod sciendum est; hoc amare, quod
amandum est: hoc laudare, quod tibi summè placet: hoc reputa-
re, quod tibi preciosum apparet: hoc vituperare, quod oculis tuis
sordescit. Non me suas secundum visionem oculorum extero-
rum iudicare: neque secundum auditum aurium hominum im-
peritorum sententiare: sed in iudicio vero, de visibilibus & spiri-
tualibus discernere: atque super omnia, voluntatem beneplaciti
tui semper inquirere.

8. Falluntur sæpe hominum sensus in iudicando: falluntur & a-
matores sæculi, visibilia tantummodo amando. Quid est homo
inde melior, quia reputatur ab homine maior? Fallax fallacem,
vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum ex-
altat: & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam
quantum vnusquisque est in oculis tuis, tantum est & non am-
plius, ait humilis sanctus Franciscus.

CAPVT LI.

*Quòd humilibus insistendum est operibus, cum deficitur
à summis.*

1. **F**lli, non vales semper in feruētiori desiderio virtutum stare,
nec in altiori gradu contēplationis cōsistere: sed necesse ha-
bes interdū ob originalem corruptelā ad inferiora descendere, &
onus corruptibilis vitæ, etiā inuitè & cū tædio portare. Quamdiu
mortale corpus geris, tædiū senties, & grauamen cordis. Oportet
ergo sæpe in carne de carnis onere gemere, eo quòd nō vales spi-
ritualibus studijs & diuinæ contēplationi indefinenter inharere.

2. Tunc